(11)

HISTORIA JACOBITARUM,

Seu

COPTORUM,

IN ÆGYPTO, LYBIA, NUBIA, *Æthiopia* tota, & parte *Cypri* Insulæ habitantium.

Opera *Josephi Abudacni*, seu *Barbati*, nati Memphis Ægypti Metropoli.



OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

Anno Dom. M. DC. LXXV.

222-07

PRÆFATIO

Fides Chriſtiana in Ægypto ſub ipſis Evangelii initiis, SS. Apoſtolorum, & ſpeciatim D. Marci præconio & auſpiciis olim plantata, pro ſoli feraciſſimi indole, egregia protenus incrementa fecerat: nimirum hic loci humaniores literæ Theologiæ famulari primum didicerant, hic Ammonius, Pantænus, Clemens, Tatianus, Origines, & terrarum orbi par Athanaſius, ut alios prætream, ortum duxere: hic omnis Aſcetica diſciplina nata & exculta eſt: hic temporum putatæ rationes, & ſolennitatis Paſchalis perpetua deſignatio, quæ exinde per encyclicas literas ad Eccleſias reliquas tranſmiſſa; hic demum menſium paucorum ſpatio, centum quadraginta hominum millia ſub Dioclesiano ob fidem Chriſtianam cæſa, ſeptinginta in exilium acta, unde Æra Martyrum non immerito obtinuit. Nec certe alibi terrarum felicius pietas Chriſtiana radices egit, donec tertio ſeculo Arium, & cum eo fœdiſſimam hæreſeos lernam protulerat; quibus per Nicenam Synodum, accedente Principum atque Epiſcoporum Orthodoxorum cura profligatis, ſtatim, nimirum quarto ſe-

culo Eutyches Monaſterii Conſtantinopolitani Archimandrita, novas res in Eccleſia moverat; & à Concilio Conſtantinopoli coacto damnatus ad Dioſcorum Alexandrinum confugiens, cauſæ ſuæ patrocinium ab ipſo petiit & reportavit: unde labes illa per Ægyptum ſparſa, à Jacobo Syro Barradienſi nomen & incrementa deinceps acceperat. Quæ ſecta exinde magis invaluit ſeculo 5. ineunte Imperium Leone parvo, & ſuccedentibus Zenone Iſaurico, & Anaſtaſio; donec ſub Juſtino & Juſtiniano in ordinem cogeretur; qui principes ſeculari brachio Concilii Chalcedonenſis decreta munientes, Orthodoxis Melchitarum nomen fecere. Cum ergo atrius in diſſentientes animadverteretur, & Præfecti Alexandrini, in pœnis exigendis modum exceſſiſſent; accidit per ea tempora ut Saraceni in Ægyptum facerent impetum; unde exacerbatis diutina injuria animis, malignius in publicam tutelam accingebantur Jacobitæ; imo cum à Sociis Chriſtianis, ac ſacri iſtius Nominis hoſtibus pariter eſſet timendum; in Mahometis patrocinio refugium quæſiverе. Unde Impoſtor dixiſſe fertur, Benefacite Coptitis Ægypti, ſunt enim vobis genere & affinitate juncti; item, Chriſtiano Coptitæ qui nocet, mihi nocet. Atque utinam importuna perſecutio

diverſa

diversa in Fide sentientium per Hungariam, non pariter Christianam rem afflixisset hoc ipso seculo, miserosque in nefaria castra perpulisset.

Porro cum Jacobitæ Ægyptiaci sive Coptitæ jugum Mahometicum haud ægre admitterent, & victoribus moderatius habiti, æquiorem servitutem Christianis reliquis sensere; unde & numero sunt etiamnum longe potiores, & Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in suâ ad Kyterbogaen Epistola An. 1613. perscriptâ, affirmat Decies superare numerum Græcorum; *addito hemistichio Homerico,* πολλαί κεν δεκάδες δδοιάτο, *&c.*

De illorum præsenti statu, siquidem non modo Terrarum tractu ab Europa nostra occidentali, sed & dogmatis suis dissideant; quæ referuntur, aut prorsus fabulosa, aut ex partium studiis parum candida habentur; nimirum ea Peregrinantium medullis inhæret fingendi libido, ut pro rerum gestarum Historiis, Auditiones admirandas domum reportent: & natis in Religione dissidiis, id unum fere agitur, ut contumeliis & criminationibus adversarii vincantur. Cum ergo Josephus Abudacnus *in ipsa Cairo natus, vir quidem parum literatus, sed inculpatis moribus, & rerum in patria sua gestarum testis locuples, bre-*

vem commentarium, de cultu & moribus Populariũ ſuorum nuper contexuerit : non abs re futurum judicavimus ſi publica luce donaremus ; præjertim, cum ſine magna temporis aut impenſarum factura, & imprimi & perlegi potuerit.

Prodibunt brevi, bono cum Deo, ex Typographeo noſtro Evangelii verſio antiquiſſima linguâ & Characteribus Copticis, nec non authenticæ ejuſdem Eccleſiæ Liturgiæ, quæ lectoribus eruditis non ingrata fore confidimus.

HISTORIA JACOBITARUM,

Seu

COPTORUM,

IN ÆGYPTO, LYBIA, NUBIA, &c.

Habitantium.

CAPUT I.

De Nomine Jacobitarum.

MUlti antiqui Doctores Jacobitarum originem, & eorum à quibus ſunt oriundi nomen cognoſcere deſiderarunt: ſunt enim multi numero (ſicut poſtea oſtendemus) & multos errores habuerunt, & habent etiamnum in Religione. Illi non modo Jacobitæ appellantur, ſed Copti, atq; ab omnibus ferè Papicolis in Europa *Chriſtiani per cingulum* nominantur. Quod ad nominis originem attinet, arbitrantur ſuperius citati Doctores, illos accepiſſe hoc nomen ab Antiquo eorum Patriarcha Alexandrino (ſunt enim illius ſedis ſubditi) vel ab aliquo Sancto, puta Jacobo Syro Barradienſi. Sed hoc non videtur eſſe certum; in Catalogo enim Patriarcharum, quorum meminerunt in Sacrificio Miſſæ, nulla fit hujuſmodi Patriarchæ mentio. Ideoq; hæc eſt maxime probabilis omnium ſententia, illos nimirum oriundos eſſe ab Antiquo illo Patriarcha Jacob filio Iſaac

filio Abraham, nominato ſæpe in ſacris literis Iſrael (ut poſtea in altero Coptorum nomine videbitur.) Ac ſanè ſi hoc veriſſimum non eſſet, multitudo Hebræorum, qui Ægyptum etiam incolunt, Iſraëlitæ, non autem Jacobitæ appellarentur; ſed quia Hebræi (qui per totum terrarum orbem innoteſcunt) hoc Iſraelitarum nomen adepti ſunt, volunt ab ipſis (quanquam in circumciſione conſentiant) differre hoc primo nomine Jacobi, & non Iſraelis. Adde quod ſunt Chriſtiani, non autem Hebræi, & id agunt ut diſtinguantur ab aliis Nationibus, quæ eaſdem regiones cum illis incolunt. Non habent igitur alterum generis ſui Authorem à quo Jacobitæ denominentur niſi ſupra citatum Patriarcham. Et hoc ipſemet etiam teſtari poſſum, me audiviſſe in exhortationibus quæ publice privateque fiebant, eos vocari Iſraelitas, & Iſraëlis gregem, &c.

De ſecundo Nomine.

APpellantur quoq;, ut ſupra diximus Copti, ab oppido Thebaidis celebratiſſimo, utpote quod commune eſt Ægyptiorum & Arabum emporium, vergens ad mare rubrum: quod & toti Ægypto nomen dedit, nimirum ut ſit αἰα γύπλος ſive κόπλος, vel τῆς κόπλυ.

De tertio Nomine.

MIraberis fortaſſe, nec immeritò qua de cauſa ab Europæis *Chriſtiani della cintura*, hoc eſt *Chriſtiani per cingulum* appellentur. Deſines forte mirari ubi noveris cauſam. Copti itaque (uti poſtea pluribus verbis in capite de Sacramento Baptiſmatis oſtendemus) in receptione Sacramentorum cingulo quodam utuntur, quo Sacerdos eum qui Sacramenta recipit ſolet cingere, & hoc quidem vocant cingulum caſtitatis, ut Chriſtus ait in Evangelio. Ab hoc ritu hocce nomen ſortiti ſunt.

CAP.

CAPUT II.

De Coptorum Antiquitate.

HActenus quidem de nomine & origine Jacobitarum diſſeruimus, & quandoquidem à Patriarcha Jacobo eos probavimus oriundos, ſequitur ſanè neceſſario ſi de Antiquitate quæras, eos longe præceſſiſſe Salvatorem, ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Poſt vero ejus adventum (ut Eccleſiaſtica Hiſtoria narrat) à Divo Marco qui in Alexandriâ concionabatur, ad fidem converſi ſunt. Ubi vero paſſus eſt Martyrium Marcus, qui ipſi adhæſerant acceptam ab eo fidem per totam Alexandriam, Ægyptum, Lybiam, Nubiam, &c. in quibus regionibus hoc etiam tempore habitant, diſperſerunt. Sed ſi de numero quæras, reſpondeo plures ſanè fuiſſe in Primitivâ Eccleſia, antequam Turcarum Imperio & eorundem Barbariei ſubditi forent, & in eos Mahometani ſuam exercerent tyrannidem. Sed præter has regiones quæ Jacobitis, ſive Coptis refertæ ſunt, reperiuntur etiam nonnullæ aliæ quæ iiſdem non carent, quemadmodum Æthiopia tota, & pars Inſulæ Cypri, & ita quidem ut ipſos differre faciat Regio, non autem Religio. Alexandrinus enim Patriarcha omnes ſupra allatas regiones in Spiritualibus regit, dat ipſis Metropolitas & Epiſcopos, & ejuſmodi homines: atque ipſis viciſſim Jacobitis qui in urbe Cathedrali habitant nefas eſt quenquam eligere, aut conſecrare Patriarcham, niſi prius eorum ſententiis & ſuffragiis approbatum: & de his quidem hactenus.

CAPUT III.

De Regimine eorum Spirituali.

SAtis hactenus (ut videtur) de Jacobitarum nomine & origine diſſeruimus; jam agendum de Regimine, & foro Spirituali. Sed antequam rem aggrediar prius te monitum volo, Coptos eadem libertate non ubique frui. Qui enim à Mahometanorum, ſive Ethnicorum jure ſimul & injuria tuti ſunt, majori libertate donantur in Eccleſiæ regimine, & tali quidem quali utuntur Papicolæ & Græci, ut multi narant Hiſtoriographi. Qui vero in Ægypto, Lybia, Nubia, Thebaide, &c. habitant, & Turcarum Tyrannidem ferre coguntur, juſſaque Barbari Imperatoris adimplere, tam liberi ſane non ſunt. Jam verò quomodo regantur in ſpiritualibus paucis ac breviter expediemus.

Apud Jacobitas ſumma eſt Patriarchæ, quem vocant, dignitas. Poteſtatem verò ſumit à Prorege, ſive Bacha, qui Ægypto Imperatoris vice præeſt. Munus itaque ejus eſt in Chriſtianos poteſtatem ſuam (in ſpiritualibus ſcilicet) exercere. Verbi gratia, ſi Jacobita aliquis Græcorum religionem, Papiſtarum, Armeniorum amplectatur, propria derelicta, tunc poteſt, imo debet illum in jus vocare. Si verò Mahometanus factus fuerit, tunc non poteſt: ſunt enim illi rerum Domini, nec licet Chriſtianis reluctari adverſus eos quibus inſerviunt. At ſi in illis regionibus degat quæ Turcis minime parent, veluti in Æthiopia, poteſt eum vocare, & rationem expoſcere quare à religione diſceſſerit, vel ſane anathemate ferire. Sed raro fit hoc hiſce temporibus; timet enim Patriarcha ne qui fuerit in tali periculo Mahometanus fiat, ubi nulla eſt ſalus, non enim curant illi ſalvari in Chriſto & per Chriſtum. Et hoc tantum juris nunc poſſidet. Porro ſecurus non eſt de iis quæ ad Eccleſiam pertinent, cujuſmodi ſunt primitiæ, decimæ, feoda

feoda pro matrimoniis, item Eleemoſynæ quas Chriſtiani in lecto decumbentes, ac morti proximi impertiuntur, aut impertiendas relinquunt; item ea quæ ſolent dare ii qui recipiunt Sacramenta, ſcilicet S. Ordines, Confirmationem, &c. de his enim nullam poteſt movere Controverſiam cum ſubditis. Si poſſint aliquid dare, ac quod conſtitutum eſt perficere necne, non multum intereſt: expectare debet morum liberalitatem, ſeu charitatem. Atqui hoc quidem de Spirituali Regimine quo ii quibus Turcæ imperant utuntur.

CAPUT IV.

De Electione Patriarchæ, Epiſcoporum, &c.

UBi obiit Patriarcha qui Clavum gerebat in Spiritualibus, domus Cathedralis Canonici poſt ipſius funera omnes ac ſingulos publicè hortantur, ut Deo preces fundant, eumq; rogent, ut auxilietur ſingulis per Spiritum Sanctum, quo eligatur novus Eccleſiæ ſuæ Rector gratus illi, gratus hominibus. Inde ſtatim litteras mittunt, ac vocant Archiepiſcopos & Epiſcopos omnes, qui ubi convenerunt in Domo Cathedrali, eligunt aliquem ex ſenioribus Monachis qui in Eremis habitant, ac Pœnitentiam, Jejunium, Caſtitatem, & omnia quæ pertinent ad mortificationem carnis rigide videntur ſervare & obſervare. Ubi verò electus fuit aliquis, illi minime aperiunt (quamprimum enim novit quiſquam ſe ad illam dignitatem vocari, fugit, nec libenter accipit munus) ſed vi capiunt illum, & in urbem ducunt, multiſq; precibus rogant, ut dignetur eſſe Paſtor Eccleſiæ, cum à Spiritu Sancto per Archiepiſcopos & Epiſcopos electus ſit. Ipſe verò multis & verbis & lacrymis reluctatur, ſeq; tanti oneri non poſſe ſufficere, nec parem ſe eſſe profitetur: tandem veluti precibus victus ſuſcipit onus. Illico ad Proregem ducitur, qui Ægypto tum temporis præeſt, à quo Jacobitarum Patriarcha conſtituitur,

tur, conceduntur & ea quæ primo petit, ut poſſit nimirum Eccleſiam regere ſecundum mores & inſtituta majorum. Et hæc quidem de Electione Patriarchæ. Agamus jam de Epiſcopis. Illi ſiquidem eodem fere pacto quo Patriarchæ eliguntur, per vim enim capiuntur, & ad Patriarcham deducuntur, qui monet ne diutius tam ſacrum munus rejiciant, ſubjiciant ſeſe oneri, meminerintque ſe à Spiritu Sancto & vocatos & electos, eundem quicquid fuerit arduum ac difficile, facile redditurum. Ubi conſenſerunt, ſimili modo datur illis à Patriarcha vel Prorege facultas, ne cuiquam ſubditorum iis reluctari, aut in aliquibus adverſari liceat.

Ubi vero eligitur Archiepiſcopus, convenit Patriarcha cum Canonicis qui habitant in domo Cathedrali, atque ubi elegit eum, dat illi literas authenticas, quod & Prorex facit, ac talem poteſtatem, qualis dari ſolet Archiepiſcopis, & poſt ipſius conſecrationem, mittit illum in provinciam quam ſortitus eſt. Eadem eſt ratio de Canonicis, Presbyteris, Prioribus Conventuum; qui quidem omnes primo reluctantur, tandem verò velut precibus victi acquieſcunt. Ex hiſce nulli à Turca hanc authoritatem accipiunt, aut ſaltem illius Confirmationem, niſi Abbates & Priores Conventuum. Alii ejuſmodi authoritate non indigent, cum ſint ipſi Subditi Patriarchæ vel Epiſcopo alicui.

CAP.

CAPUT V.

De Conſecratione Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi.

CUm minime quotidianum, ſed rarum ſit conſecrare Patriarcham, de Conſecrationis ordine pauca breviter narrabimus. Ubi præceſſit electio Patriarchæ (de qua ſuperius egimus) in Eccleſia Cathedrali, & omnibus aliis indicatur conſecrationis dies, illâ Cives omnes, & ii qui ſunt in urbe Memphis, extraneique multi in Eccleſiam in qua debet fieri Conſecratio conveniunt. Neque tantum Chriſtiani, ſed & multi Principes Turcæ & Mahometani illuc concurrunt: rem enim cum raram, tum viſu maxime dignam exiſtimant. Conſecrationis hic eſt ordo.

Media nocte incœpta Miſſa, ac poſt introitum, Epiſcopus unus è ſeptem qui Introitum inchoaverant, recedit & Sanctuarium ingreditur, ſecundus verò inchoat reliquam Miſſæ partem; ſecundo ſuccedit tertius, qui itidem ſuo in celebratione Miſſæ munere fungitur, tertio quartus, & ſic de ceteris uſque ad ſeptimum; qui ubi exordium ſive Præfationem cecinit, relinquit Miſſæ partem alteram, ſeque confert cum reliquis in Sanctuarium, (de quo in ſequenti capite) in quo ſeptem ſunt gradus in circuitu, atq; in medio altare, ſupra quod Miſſa celebratur, continet: ſingulis verò gradibus inſiſtunt ſeptem Epiſcopi recti ſinguli ſupra unum quemque gradum, habitu Pontificali & Mitra ornati. Ac tunc Canonici & Miniſtri ceteri qui miniſtrant in Sanctuario, accerſunt Patriarcham cum ephod laneo in capite, & induſio lineo & cingulo, de quo ſupra in tertio nomine Jacobitarum. Cumque accedit ad primum Epiſcopum qui ſtat in primo gradu, legit periocham aliquam ex libro Pontificali qui appoſitus fuerat

fuerat Patriarchæ capiti (dans illi ſcilicet animum & ſpem in Deo, ut Deus det illi gratiam quâ poſſit regere Eccleſiam ſuam.) Poſtquam legit periocham quæ deſignata fuerat, afflat illi ad os dicens, *Sume Spiritum Sanctum*, quo peracto Mitram illius ex capite aufert. Sic ſecundus in ſecundo gradu, tertius in tercio, & ſic de ceteris, ad ſeptimum uſque. Cum verò ad ſeptimum pervenit gradum, ſeptem Canonici domus Cathedralis afferunt illi veſtem Pontificalem, & eorum unuſquiſque veſtis partem quâ ſe induat porrigit, (primus dat illi linteum quoddam quod humeris debet imponere, ſecundus induſium, tertius cingulum, & ſic de ceteris) idque additâ periochâ quâdam peculiari, ac veſtis partibus ſingulis deſtinatâ, donec omnes ſuum munus abſolverint. Poſtquam verò Pontificiam veſtem induit, ſedet in graduum Cacumine, & omnes Epiſcopi Mitram auferunt; ipſe vero imponit aliam capiti, Epiſcopiq; & Canonici omnes manui ejus dant oſculum, obſequium promittentes. Quo peracto Patriarcha ipſe à gradibus deſcendit, Miſſam conſecrare incipit, & Sacramentum Euchariſtiæ omnibus iis qui Miniſtrant in Sanctuario Epiſcopis, Canonicis, Archidiacono, & Subdiacono miniſtrare. Et hactenus quidem de Conſecratione Patriarchæ. De Epiſcopis ſi quæras, peculiare nihil adhibetur niſi quod in libro Pontificali deſignatum eſt. Et has Ceremonias Patriarcha ſolus Miſſam celebrans una cum Miniſtris qui inſerviunt efficit: poſtea verò omnes Epiſcopi ipſius ſubditi (ſcilicet Archiepiſcopi) vel ſaltem tres, inflexo genu manum ejus ſedentis ſuper Cathedram ad ſiniſtram Patriarchæ oſculantur; & hoc fit tantum ante Conſecrationem Sacrificii Miſſæ. Eadem eſt ratio Conſecrandi Epiſcopum. Conſecratur ſcilicet à Patriarcha eodem tempore, nec præterea quicquam fit, præter id quod pertinet ad Epiſcopos, afflat nimirum Patriarcha, jubens ut accipiant Spiritum Sanctum.

CAP.

De Conſecratione Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum.

FIt ea ſecundum ordinem Papicolarum, Græcorum ſc. de qua Conſecratione in Sacramento Ordinis breviter narrabimus.

CAPUT VI.

De Forma Templi.

JAcobitarum Templa ab aliis, ſive Europæis ſive aliis, aliquo modo differunt: quemadmodum & aliquibus Ceremoniis utuntur, quibus Chriſtiani alii uti minimè ſolent. Hunc igitur in modum ſtructa ſunt, ut habeant tres plateas ſive Alas, & tria Sanctuaria. In prima platea, quæ Sanctuario medioximo adjacet, omnes Eccleſiaſtici, Nobiles, & Cantores manent; in ſecunda plebeii & pauperes omnes; in tertia feminæ. In Sanctuario vero Sacerdos ſolus, & Miniſtri, ſcilicet Diaconus, & Subdiaconus; reliquis ingredi netas, niſi habeant ordines majores ſacros. Et hoc de Sanctuario Majori quod in medio aliorum collocatum eſt. Alia verò duo Sanctuaria ſunt ab utraque parte majoris, ubi vulgo ſolet miniſtrari; iis utuntur Jacobitæ in Dominica Palmarum, & Feſto Natalis Jeſu Chriſti: cauſam videbis in ſequenti capite. Præter tres plateas ſupra allatas ſunt & loca alia peculiaria, vel pro Sacriſtia, ubi Sacerdos & Miniſtri ſacra veſtimenta induunt, vel pro Lipſana & ſanctorum reliquiis, necnon pro eorundem imaginibus, quibus maxime dediti, ſunt; vel pro fonte Baptiſmatis, &c. Et hæc omnia loca ſunt in Platearum ſupra dictarum circuitu. In tertia vero platea ubi feminæ manent, eſt & aliquando Piſcina in medio, quæ ſingulis annis in Feſto Epiphaniæ adimpletur aqua: ſed & de hoc in ſequenti capite dicemus.

In tribus Plateis istis sunt etiam Oratoria, quæ aliis Religionibus, utpote Æthiopum, Armeniorum, Chaldæorum, Græcorum, &c. inserviunt: in istis diebus festis Missam celebrare solent.

CAPUT VII.

De Ceremoniis Ecclesiasticis.

PEculiares quasdam Ceremonias habent illi ab aliis populis planè discrepantes, quas se à majoribus accepisse jactitant, & in hodiernam diem diligenter observant, ut nefas sit vel latum unguem ab illis discedere. Tales sunt illæ quæ solent fieri diebus Dominicis, & aliis Apostolorum, seu Martyrum festis. Scilicet die Sabbati ante Dominicam, vel die illa quæ festum alicujus Sancti præcedit, omnes in Templum nudis pedibus conveniunt, sive sint viri sive feminæ, quique possunt pallium aliquod coopertorium afferunt, quo in Templo nocte illa dormientes sese tegant & cooperiant. Templa habent in terra storeis vel tapetibus contecta, secundum loci dignitatem; & postquam vesperæ & completorium celebratum est, omnes in Choro, cum Clerici tum seculares, una canunt orationes & hymnos ad vesperas & completorium pertinentes; postea vero sese conferunt in diversa loca viri & feminæ ut dormiant (clausus tamen est circuitus plateæ feminarum, ne homines & feminæ simul sint) præter eos qui manent prope Templum; illi enim in suis ædibus cubant, & antè auroram per unam aut alteram horam, vocati prius à clerico quodam adveniunt; ipsique qui in Templo dormiunt, & omnes qui ordines sacros adepti sunt, majores vel minores, se cingulo (de quo supra in primo capite diximus) cingunt, & in Chorum se conferunt, incipiuntque matutinas canere; postea hymnos & horas Canonicas omnes (scilicet primam, tertiam, & nonam) quæ quidem vesperarum & matutinarum horæ complectuntur ac continent quadraginta octo Psalmos, omnes Arabica

bica lingua recitatos alternatim. Pſalmum canunt ſinguli (ſcilicet Sacerdotes & majores populi) præter lectiones cum Evangelio, quæ prius lingua Coptica recitantur, poſtea verò Arabica, ut omnes qui adſunt poſſint percipere. Orationes ſolæ Coptica lingua recitantur, quibus peractis inchoat Sacerdos Miſſam una cum Diacono, Subdiacono & Acolythis, (qui ſemper in celebratione Miſſæ debent adeſſe) ac ubi omnes ſeſe ſupplices terræ inclinaverunt, introitum lingua Coptica recitat Sacerdos ante januam Sanctuarii. Hoc peracto Sanctuarium ingreditur una cum Miniſtris in manu thuribulum habentibus, ac ter circuit altare benedicens illi; poſtea verò Clericus ad Sanctuarii januam accedit una cum hoſtia, vino & aqua, quæ quidem omnia magna modeſtia ab illo accipit Diaconus in Sanctuario, & coram ſacerdote illa ponit. Sacerdos verò omnia iſta ordine diſponit ut conſecrentur, poſtea quaſdam orationes & hymnos incipit, ac populus canentis vocem voce ſequitur; ſi verò extent narrationes aliquæ ordinariæ alicujus ſancti vel diei feſti, illas ſacerdos lingua Coptica recitat: quibus peractis Subdiaconus primam epiſtolam aggreditur, quæ quidem Epiſtola ex veteri teſtamento fuerit, eamque Coptica lingua recitat, poſtea Subdiaconus alter Arabice recitat duas Epiſtolas, quarum altera ex Paulo Apoſtolo deſumitur, altera ex Catholica; & quibuſdam orationibus & hymnis recitatis, Evangelium quod ſolet illa die legi recitat. Poſtea præfationem Copticè ſolemniter ſacerdos inchoat, quem ſequitur Chorus & reliquum canit, & Litaniam, quam ſolus ſacerdos in ſanctuario coram omnibus elata claraque voce Coptice recitat. Ubi hæ orationes quæ fiunt ante Conſecrationem peractæ ſunt, panem & vinum populo religioſè auſcultante conſecrat. Conſecratione facta ſacerdos ipſe primo ſacramentum ſumit, poſt eum Diaconus, Subdiaconus, & alii Miniſtri; ſi vero adſint aliqui ex populo, ejuſdem hoſtiæ partem illis communicat ſacerdos, & Cochleari argenteo vel aureo ſanguinem iſdem miniſtrat Diaconus, ita ut omnes iſti unius hoſtiæ debeant fieri participes, quæ unam panis libram ad minimum æquat. Sed ante diſtributionem ſacramenti ſacerdos calicem tenens, & Diaconus hoſtiam in patera ferens, egrediuntur è Sanctuario ambo ſeſe invicem reſpicientes, ita ut is

qui præcedit cancri more incedat, ſacerdos nimirum converſus ad Diaconum qui ſequitur; ſicque per Chorum tranſeunt, inde per duas ſupra allatas plateas: poſtea verò ſimili modo, id eſt Diaconus retrorſum converſuſque ad Sacerdotem redeunt in Sanctuarium, & populus qui adeſt ſupplex capite nudo in genua procumbit, quibus omnibus peractis duarum aut trium horarum ſpatio, aut circiter, Sacerdos lavat Calicem ac Pateram cum manibus ſimul, bibitque aquam illam manibus prius minime exſiccatis, & manet ad Sanctuarii januam, omneſque ad illum concurrunt, ipſe vero faciem eorum tangit benedicens illis; atque cum è Templo egredi incipiunt, Chorus hymnos & Pſalmos lingua Coptica canit. Clericus verò quidam manet ad oſtium Templi cum Calatho pleno hoſtiis non conſecratis, & ſingulis unam dat.

De duobus Sanctuariis extimis, de quibus ſupra diximus in forma Templi Capite 6.

TEr tantum per annum illa uſui inſerviunt, in Feſto Nativitatis quidem ter, tres enim Miſſæ illa die celebrantur, ac neceſſe ut tres Sacerdotes ſacris operentur, & unus in ſuo Sanctuario Miſſam unam tantum celebret. Secundo *in Dominica Palmarum*, quæ dies valde ſolennis extat apud illos: & deniq; Feſto Exaltationis Sanctæ Crucis ſimiliter. In his igitur tribus Feſtis tres Cruces ex ramis Palmarum conficiunt Sacerdotes, atque in ſingulis Sanctuariis uni benedicunt, & hoc facto Proceſſionem una cum illis qui ſunt in Eccleſia faciunt, ac cruces in fluvium conjiciunt, alioſque ramos benedictos in ædibus aſſervant.

E Piſcina quæ eſt in tertia platea, ubi feminæ manent, ſi quæras, illa in Feſto Epiphaniæ aqua adimpletur (tunc enim Baptiſmatis Chriſti fit Commemoratio) & ipſe Patriarcha ſi adſit conſecrat aquam illam, ſi verò abſit quicunque tunc præeſt in Eccleſia illius munere fungitur, & aquam conſecrat: quo peracto, & multis aliis Ceremoniis, hymnis, pſalmis, & epiſtolis, Evangelio & aliis tam Coptica quam Arabica lingua abſolutis, qui præeſt exuit ſe, & veſtes deponit; poſtea ſeſe in piſcinam

nam quater immittit, ac immergit, idque in quatuor piſcinæ angulis in Crucis ferme modum, & omnes qui adſunt illius veſtigiis inſiſtentes idem faciunt in Baptiſmatis quaſi memoriam, & vocatur dies illa *Gnitas*, i. e. Submerſio: quæ ceremonia conſecrationis aquæ per duas aut tres horas extenditur, multis lampadibus & candelis accenſis.

CAPUT VIII.

De Indumentis Sacris.

QUia Jacobi filii ſunt, indeque Jacobitæ appellantur (ut videre eſt in primo capite) hanc ſanè ob rem omnes ferè ceremonias Judaicas, & partem ſacrorum veſtimentorum in hodiernam diem obſervant; utuntur videlicet panno laneo in capite, atq; illud non modo ii debent geſtare qui Eccleſiæ miniſtrant, verum etiam omnes qui Eccleſiam ingredi volunt, alias non licet. Utuntur præterea induſio ad terram uſque demiſſo, cum gemmis aliquibus in modum crucis appoſitis pectori, dorſo, & extremis partibus prope terram, & manicis prope manum & brachia. Si verò Eccleſia pauper fuerit, pro gemmis ſericum apponitur. Hocque ubi induerunt, ſe cingulo, de quo ſupra egimus, cingunt, & ſacerdos ipſe ſolus manipulum in dextra manu fert; alii verò Miniſtri, ſcilicet Diaconus & Subdiaconus, & qui ſunt ordinis inferioris hoc facere nequeunt: & hoc diebus ſingulis utuntur. In ſolennibus vero cum Pontifex nullus Miſſam celebrat, Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, pallium ferunt cum cucullo in capite ſuper Pannum laneum. Nulli ferunt ſtolam niſi Pontifices. Habent quoq; aliqua velamenta ſerico confecta, quæ inſerviunt Miniſterio ſacramentali, ſcilicet quando Diaconus per veſtem interpoſitam tangit illud, non autem manibus nudis.

Obſervant etiam nonnullas alias ceremonias ex veteri Teſta-

mento; quemadmodum abstinere à cadaveribus mortuorum, & aliis multis quæ in sacris literis recensentur. A pollutis animalibus, polluto sanguine, item à suffocato abstinent planè; & multa alia quæ in veteri Testamento Judæis præcipiebantur, rigide ac diligenter observant.

CAPUT IX.

De Sacramentis in genere, & eorum usu.

SAcramenta apud Jacobitas sicut & apud Papistas, Græcos, Armenios, &c. sunt septem, non tamen omnia diligenter observata; scilicet Extrema Unctio & Auricularis Confessio, non ita rigide observantur, ut reliqua quinque. Confirmatio una cum Baptismate statim datur, nec aliquis ordo observatur in receptione Sacramentorum sed confusè omnia. Similiter una cum Baptismate dant infantibus Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie, sæpius etiam Sacramentum ordinis una cum aliis duobus, & ordines sacros præter sacerdotium, quod nulli datur quin prius vicesimum quintum ætatis annum assequutus fuerit. Ante Sacramenti Eucharistiæ receptionem seculares solent aliquando Confessionis Sacramento uti, Ecclesiastici verò ferè nunquam. Matrimonium solenniter magnaque pompa & Musicis Instrumentis adhibitis celebrari solet.

CAPUT

CAPUT X.

De Baptiſmate.

SUpra diximus in capite de forma Templi eſſe locum Baptiſmatis fonti deſtinatum, in quo eſt Piſcina quæ Baptiſmatis tempore aqua adimpletur, quo peracto Sacerdos una cum Miniſtris ſacris prius indutis veſtibus ad fontem accedit, unaque omnes varias orationes & hymnos à ſacerdote prius inchoatos lingua Coptica canunt, poſtea ſequuntur Epiſtolæ & Evangelium, ut ſupra in celebratione Miſſæ diximus. Incipit deinde Sacerdos Præfationem canere, atque omnes ferè orationes & preces, quibus in menſa utimur, recitat. Inde aquam confecrat, cui ſalis & olei benedicti aliquantulum admiſcet. Offert verò infantulum quadraginta dies natum pater luſtricus, nec ulli fas ne Matri quidem aut obſtetrici Eccleſiam ingredi niſi cogat neceſſitas: ac prius accenſis multis lampadibus & candelis, adſtantem coram fonte patrem luſtricum interrogat Sacerdos, an ſacra Baptiſmatis aqua ablutum velit puerulum; quo annuente Exorciſmum recitat, & multas ceremonias licitas, quemadmodum multæ ſolent nationes, ac infantulum manibus prehendens totum in aquam ter immergit, addens verba illa quibus utuntur Chriſtiani in Sacramento, nempe, *Baptizo Te in Nomine Patris filii & Spiritus Sancti*, acceptoque albo linteo puerulum abſtergit, & oleo ſacro confirmat, omneſque articulos ungit. Poſtea Sacerdos ipſum veſtibus induit; & cingulo (de quo ſupra) cingit, nec poteſt à quoquam, niſi ab aliquo Sacerdote poſt triduum diſſolvi; ac tunc quidem iterum infantem ſpoliat, & aqua limpida eundem in vaſe figulino abluit, quam poſtea in fluvium vel locum aliquem ubi poſſit evaneſcere ejicit, Baptiſmatis verò aqua per foramen aliquod in ſubterranea loca emittitur.

Baptiſmus bis per annum ſolenniter celebratur, primo quidem

dem Dominica Pentecoſtes, poſtea Dominica Paſſionis, (& tum datur infantibus, ut ſupra diximus.)

Sed ut in primo capite diximus, Circumciſionem diligenter obſervant, & hæc quidem fit die octava poſt partum. Neque tantum in majoribus urbibus obſervatur ubi eſt magnus hominum numerus, verum & in pagis & ruri rigidiſſimè tenetur.

CAPUT XI.

De Sacramento Confirmationis.

IN ſuperiori capite ſacramenti hujus meminimus, cum Sacerdotem illud infantulo Miniſtrare diximus; fit nempe à Sacerdote olei conſecratio, quemadmodum confirmatio, neque enim expectat donec Epiſcopus miniſtret. Ita ut ſit hoc diſcrimen inter Jacobitas & Papicolas in hoc negotio, quod apud hos oleum nonniſi ab Epiſcopo conſecretur, apud illos nequaquam: quemadmodum & Confirmatio parvulis una cum Baptiſmate adminiſtratur, idque à Sacerdote; apud Papicolas ſeorſim, idque ab Epiſcopo tantum.

CAP.

CAPUT XII.

De Confessione Auriculari.

HOc sacramento ferme nunquam utuntur Ecclesiastici, uti diximus, raro Laici, ac tunc severè ac rigidissime exercetur. Multi narrant Historici pecunias in Æthiopia, ubi Jacobitarum religio viget, ab eo qui pœnitentiam agit satis multas sumere Confessores, cum præterea rigidam cogantur agere Pœnitentiam. In Ægypto vero non dantur pecuniæ nisi pro modulo ejus qui pœnitentiam agit. Si nihil dederit, tunc à Templo abstinere cogitur per aliquod tempus. Quæ vero ab illis Confessoribus pœnitentia exhiberi soler, tam gravis plerumq; est, & in tam longum tempus extenditur, ut sæpe sex mensium, aliquando unius anni spatium excedat; atque interim Eucharistiæ Sacramentum non participant. Pœnitentiæ hujus talis est ut plurimum ratio. Bis aut ter per hebdomadam à cibo abstinent, aqua scilicet & pane victitantes, perque singulas noctes quinquagies aut centies sese in terram prosternunt, osculantur eandem orientem versus, existimant enim unicam esse peccatorum speciem, non autem variam, ut inquiunt Papicolæ.

CAPUT XIII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

EUchariſtiæ Sacramentum ſingulis Dominicis & feſtis diebus Miniſtri una cum Sacerdote Miſſam celebrantes, idque abſque Confeſſione (ut ſupra diximus,) ſumunt: ſolent tantum vigilia quæ feſtum antecedit parare ſe, & à Cibo & Potu nocte illa abſtinere. Laici verò peracta pœnitentia quam præceperat Confeſſor, religiosè & collacrymantes ad portam Sanctuarii nudo capite accedunt, ibiq; ſtantes linteum manibus tenent: Sacerdos verò fruſtum hoſtiæ dat illis, & Diaconus poſtea Cochleari aureo vel argenteo, vinum è Calice porrigit. Pariter ſi Sacra Baptiſmatis unda abluantur quidam infantuli, quod ſolet etiam alias fieri quam duabus illis vicibus de quibus ſupra, ad oſtium à patre luſtrico afferuntur, ac tunc Sacerdos fruſtulum hoſtiæ pueruli ori immittit, & digito in Calicem injecto ori ejus admovet. Similiter ſi infans quiſpiam conſtituatur Diaconus vel Subdiaconus, &c. quod ſæpe fit ubi Pontifex aliquis Miſſam celebrat, ab eodem in Sanctuarium intromittitur.

CAP.

CAPUT XIV.

De Sacramento Ordinis.

HUjus Sacramenti meminimus, cum de Baptiſmate egimus, ubi diximus non haberi rationem ætatis in adipiſcendo quovis ordine præterquam in Sacerdotio, omnes alios interim tam majores quam minores qualicunque ætati tribui. Fit vero hoc modo, Exempli gratia, ſi puerulus aliquis creetur Diaconus, cum non patiatur ætas rudis admodum & tenera, eum regulas ordinis perficere, tunc aliquis ex ipſius propinquis ſive pater, ſive mater fidejuſſoris veluti loco illas in pueruli gratiam obſervare debet, donec ſit ille aliquantulum provectioris ætatis. Regulæ ordinis hæ ſunt. Bis ſingulis hebdomadibus jejunare, diebus Mercurii & Veneris, ab omnibus cibis ſanguineis & lacte abſtinere, Quadrageſimali tempore jejunio ad ſerotinum uſque tempus corpus macerare, item feſtis diebus Eccleſiam adire, ibiq; Miſſam audire. Officium divinum ante Sacerdotis ordinem nulli exequuntur, ac poſt viceſimum quintum annum Sacerdotes ordinantur; qui quidem omnes ſupra allatas regulas ipſi coguntur obſervare. Qui verò recipitur in majores vel minores ordines, dat prius nomen Pontificis amanuenſi, & pecuniam aliquam Patriarchæ tradit (ſcilicet tres denarios monetæ Anglicanæ) ac conſecrationis tempore Pontifex ante Sanctuarii januam ſtans capillos ejus abſcindit, & capiti manu impoſita, capilliſque abſciſſis in Crucis figuram benedicit illi, ac gratulatur ſimul quod in Eccleſiaſticorum numerum aſcitus fuerit: inde in Sanctuarium ingreditur, atque ſuper ſedem Pontificiam ſedet, Miniſtrique ipſi cingulum afferunt, induti & ipſi induſio & cingulo, & Pontifex in illum confert reliquos ordines uſque ad Diaconatum, ceremoniis illis adhibitis quibus Græci & Romani utuntur. Quod

ſi de Sacerdotibus quæras, reſpondeo non eandem eſſe rationem: eliguntur quidem illi ſed abſentes, ordinis tempore in Eccleſia capiuntur ſed reluctantes, & per vim precibus variis, ac verbis veluti victi, acquieſcere coguntur: poſtea Sacerdotalibus veſtibus induti ducuntur ad Pontificem in Sanctuarium, & ab eodem ordinantur, ut ſupra, quemadmodum apud alias gentes. Præter hoſce ordines de quibus hactenus egimus, habent & ordinem alium qui dicitur illis Alcommus, quales ſunt vel Canonici vel Confeſſores, iiq; uti diximus in ordine Presbyterii à Pontifice conſtituuntur, poſtq; multas monitiones ab eodem in Templo ordinantur, poteſtatemque accipiunt peccata abſolvendi in confeſſione auriculari. Monentur verò à Pontifice, curam Templi ut habeant, munere diligenter fungantur, caſtè vivant, ut hoc pacto ceteris ſint caſtitatis exemplar quoddam: ubi verò hoc munere defuncti ſunt Pontificatum adipiſcuntur, ut in capite de Electione Patriarchæ diximus.

CAPUT XV.

De Sacramento Matrimonii.

MAtrimonium, ut in cap. de Sacramento ſcripſimus, magnificè & ſolenniter celebratur: hoc pacto fit in Ægypto. Sponſus & ſponſa veniam primo petunt à judice Turca; qui enim ſub imperio Turcæ habitant, uxorem ducere non poſſunt, niſi prius impetrata venia ab eo qui vices Imperatoris gerit. Qua quidem impetrata domum Cathedralem adeunt ambo, dantque nomina ut inſcribantur, addita quadam pecuniæ ſumma, quam Patriarchæ ſolvunt: indicat ille diem nuptiarum, qua in Templum conveniunt; atque accenſis multis lampadibus & candelis, in ſecunda & tertia ala in qua ſolent eſſe feminæ, primò quidem in prima orationes multas & hymnos canunt in Sponſi gratiam, eumque privatim monent atque hortantur: eundem poſtea in tertiam

tertiam alam ducunt, atque una cum ſponſa ſedere jubent, ibiq; lectiones quaſdam necnon Evangelium, quod ad matrimonium pertinet, ſolenniter recitant: ac ſi Sponſus fuerit Diaconus, ipſemet canit Evangelium, quod hac de cauſa pulpito impoſitum eſt in ſecunda ala, idque lingua Coptica prius, deinde verò Arabica. Iſtæ verò lectiones deſumtæ ſunt ex libro Geneſeos, ubi tractat de Abrahamo & Sara, deinde ex Paulo Apoſtolo. Evangelium verò ex Divo Johanne, de Nuptiis Galileæ. Quibus peractis ſponſum per totam Eccleſiam ductitant ſolenniter, hymnos ac Pſalmos cantitantes, & multis lampadibus & candelis accenſis eum comitantur. Si verò Sponſus ipſe fuerit dives, ex tormentario pulvere multa artificioſe imitantur, & Muſicis inſtrumentis harmonicè canunt, ac tantas nonnunquam in hiſce pecuniſumunt, ut ſæpe numerus excedat tria millia coronatorum Gallicorum. Quod ad dotem quam vocant, attinet, quæ eſt Matrimonii veluti ligamen, Maritus uxori ſecundum Canones Eccleſiaſticos dare tenetur vigintiquinque coronatos Gallicos. Multi tamen Nobiles hoſce Canones non obſervant, ſummum enim dedecus exiſtimant, tam paucas pecunias tradere, dant illi ſiquidem centum, quingentos, imo ſæpe mille coronatos. Sponſa verò nullam dotem Marito affert: veſtes tamen habet illa, & ornamenta quædam, & nonnunquam domum. Ubi hæc peracta ſunt ducuntur ambo magnificè domum, ibique per multos dies laute vivunt, ac genio indulgent; & poſtquam ſecunda Matrimonii nox peracta eſt, in ſecretum cubiculum ſecundum uſum convenit uxorem maritus, ac ſequenti die matutino tempore virginitatis ſignum oſtendere debet coram omnibus, hoc eſt ſanguinem illum qui effluxerit ex perfracta pellicula illa quæ medicis virginitatis ſignum eſt, & dicitur hymen, qui quidem ſanguis induſium maculare ſolet: ſin minus id fiat, malè audiet Sponſa, & ſi jure ſuo uti voluerit, Sponſus mittet illam rurſus ad parentes, qui cogentur omnes ſumtus perſolvere quos prius erogaverat ſponſus.

CAP.

CAPUT XVI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

EXtrema Unctione ferè nunquam utuntur, ut neque Confeſſione Auriculari, neque Euchariſtia (nullam enim habent in Templo quemadmodum Papicolæ & Græci, aſſervatam) Ægrotis tantum in extremo vitæ agone verſantibus porrigitur, ac ſi adſit Eccleſiæ Miniſter aliquis, ægrotum hortatur ut bono ſit animo, ſperet diuturniorem ac feliciorem vitam, ſin minus, á Parentibus vel propinquis confirmatur, atq; ubi è vita exceſſit, in Templum adducitur, ibique Sacerdos orationes aliquot & hymos funeribus inſervientes recitat: ac poſtea vel in Eccleſia vel in Platea ſepelitur, domi deinde per quadraginta dies, inſuper uno poſt ſex menſes, necnon & in fine anni defuncto parentatur. Et hic eſt nobilium mos: pauperes verò ac Plebeii mortis tempore, poſt tertiam diem, item quadrageſimam, ſex menſes, & annum unica die tantum mortuo parentant, ac funeris tempore ejus fit mentio; & domi & in Eccleſia, dum Sacerdos orationes aliquot recitat, & Arabico odore ſumficat, ac thus ſepulchro infundit. Multæ præterea dantur pauperibus Eleemoſynæ, celebratur etiam Miſſa in animæ defuncti gratiam.

CAP.

CAPUT XVII.

De Cultu Imaginum, & Reliquiis Sanctorum.

REligioſe Divorum Imagines colunt ac venerantur, & quidem in eo omnes gentes quæ ſub ſole vivunt antecellunt. Habent illi (ut in cap. de forma Templi diximus) loca peculiaria quædam in quæ ſuas reponunt imagines. Diebus feſtis coram illis accendunt candelas & lampades, & ſi quando accidat aliquid adverſi, aut immineat periculum aliquod, ad eas protenus concurrunt, ac ſeſe in terram proſternentes, & pectus pugnis percutientes, ab illis religioſe & lacrymis multis auxilium petunt, ac ſeſe ſæpe juvari ab iiſdem credunt. Nullum ſculptile habent, quia idola eſſe exiſtimant; habent tantum ligneas imagines depictas Græcorum more, nec novis, quemadmodum Papicolæ, utuntur imaginibus, ſed ſolum Virginis Mariæ, item Doctorum primitivæ Eccleſiæ Georgii, Theodori, item Martyrum, Antonii, Marci, & Divorum Patrum. Imaginem Dei Patris & Spiritus Sancti non habent, ſed Chriſti, quem una cum matre in ædibus privatis depictum habent, & colunt religioſe. Atque hactenus de cultu imaginum.

CAP.

CAPUT XVIII.

De Monachis, & Monachorum habitationis loco.

MOnachi apud Jacobitas, atque ii quos in genere Religioſos Galli vocant, acerbius vivunt multo quam qui apud Europæos verſantur. Obſervant ſcilicet antiquum quaſi Divi Antonii ordinem & Macarii; qui primi fuerunt apud illos, atque ea loca in quibus olim habitarunt etiamnum incolunt, nempe Thebaidam vel Scytiam quæ ſunt partes Ægypti. Ab omnibus cibis qui libidinem excitant diligenter abſtinent: toto vitæ curriculo pane ſolo, & leguminibus quibuſdam veſcuntur, præterquam Paſchatis tempore & Natalis Chriſti. Tunc enim ova & piſces ſi forte invenire poſſint comedunt. In cultas urbes nunquam proficiſcuntur: ſoli è Monaſterio exeunt Priores & Miniſtri Monaſteriorum, ut ſtipem cogant. Si verò aliquando neceſſitate quæ, ut vulgo dicitur, ſuprema lex eſt, cogatur exire aliquis, impetrat prius ab Abbate vel Priore veniam, quæ ipſi in certum tempus conceditur, quod ſi intra illud non redierit, dat pœnas, & rigidam cogitur agere pœnitentiam. Noctes ac dies in exercitiis ſpiritualibus & orationibus verſantur, præter laicos qui Miſſæ celebrandæ non inſerviunt. Clerici verò qui Monaſterio aliqua in re inſerviunt, munere ſuo debent fungi. Monachi non delicatis ac ſericis, ſed duris ac pauperrimis veſtibus induti incedunt. Nullus enim ex iis veſtem toto vitæ curriculo ferè mutat, ſed ſi quando dilacerata vel diſrupta fuerit, panniculamentis operiunt: veſtiuntur illi ſcilicet induſio, & ſupra induſium toga ex lana craſſiori confecta. Nudis pedibus ſunt in Monaſterio: in itinere calceis nonnunquam utuntur. Cucullum gerunt & pileum in ollæ formam fabricatum. Nullum habent in capite ſignum, quemadmodum Papicolæ & Græci habere ſolent.

ſolent. In Eremis ubi habitant nefas eſt mulieri, vel bruto feminæ verſari, nec vir quiſquam in Monaſterio poteſt tranſire ad Monachatum. Omnes ferme ſingulis hebdomadibus deſtinantur ad opus aliquod mechanicum, quemadmodum ad mandanda terræ ſemina, vel ad agros inarandos, vel ad molam, vel ad Clibanum. Ita ut nunquam per otium terant tempus, ſed ſemper vel operi vel precibus, vel aliis conficiendis vires ac nervos adhibeant. Studia divina ſunt illis, nimirum vitæ Sanctorum & libri aliquot Spirituales ad orationem pertinentes, in quibus animum ſedulo debent exercere. Quadrageſimæ tempore maxima ex parte qui provectiori ſunt ætate in Eremis dies ac noctes μόνοι verſantur. Jam agendum de Sacris Virginibus, quas quidam Religioſas vocant, ſunt enim apud Jacobitas quemadmodum apud Papicolas & Græcos. Illæ ſemper clauſæ manent in Monaſteriis neque unquam egrediuntur, niſi cogat neceſſitas quaſdam ex iis quæ primas partes agunt, vel principatum tenent, exire, quia fortaſſe utilis erit exitus, & Monaſterio conducet. Veſcuntur in omnibus quemadmodum Monachi quorum antea meminimus, præter quam quod nullum habent illæ commercium cum advena, ceu allophylo, niſi in Monaſterio, ubi ipſæ clauſæ ſunt; vel in Refectorio, vel in Choro, ubi licet illis ſeſe invicem videre. In Monaſterium nulli intromittuntur, niſi velint Anathemate feriri. Licet tamen nonnunquam Nobilibus feminis venia prius à Patriarcha impetrata ingredi, ut Monaſterium inviſant, & eleemoſynam exhibeant. Solent autem Monaſteria iſta in cultis urbibus fabricari, juxta Eccleſiam aliquam, ut Miſſam diebus feſtis audire poſſint.

CAPUT XIX.

De Jejunio.

QUater ſingulis annis ſolent illi jejunare. Primò Quadrageſimali tempore, à Dominica Septuageſimæ ad Paſchatem uſq;, idq; obſervant tum Laici, tum ii quos Religioſos vocant Galli, omnes denique qui decimum ſextum ætatis annum attigerunt. Pane ſolo & leguminibus, atque herbis oleo olivarum nequaquam conditis veſcuntur, ac ſemel duntaxat per diem, veſpertino ſcilicet tempore. Secundum Jejunii tempus eſt adventus à decima quinta die Novembris uſque ad Natalem Chriſti, quæ incidit in 25. diem Decembris. Ac tunc quidem à carnibus & lacte abſtinent, cùm piſcibus liceat veſci. Tertiò in gratiam Beatæ Virginis jejunium celebrant; inchoatur autem viceſima quarta die Septembris, & deſinit Aſſumptionis tempore, hoc eſt decimo quinto menſis Auguſti. Quartò ac poſtremò in gratiam Petri & Pauli Apoſtolorum inchoatur jejunium prima Dominica Pentecoſtes, & uſque ad feriatum eorundem diem productum, qui incidit menſe Junio, ſed non eſt certò conſtitutum jejunii ſpatium, fit enim ſecundum Paſchatis curſum. Et hoc tempore, ut & Adventu piſces comedunt, non autem dum in gratiam Virginis Mariæ jejunant, quemadmodum nec Quadrageſimali ſpatio.

CAPUT

CAPUT XX.

De Peregrinationibus Religionis ergo.

SOlent Jacobitæ Peregrinationes quaſdam ſuſcipere religionis ergò. Verbi Gratia multa extant loca in Ægypto ubi Sanctorum corpora & imagines Beatæ Virginis aſſervantur, de his ſentiunt illas egregia multa miracula edere. Plerumque verò ſolent circa mediam Quadrageſimam Hieroſolymam proficiſci, & quia iter non eſt tutum à Latronibus, ceu Arabibus, in Ægypti Metropoli ſolent omnes congregari, ſive Jacobitæ fuerint, ſive Græci, ſive Europæi, Mercatores, Artifices, Peregrini, perinde eſt. Poſtea in unum coeunt corpus (unam Caravanam vocant illi) numerus verò tantus eſt Peregrinantium nonnunquam, ut quinquaginta, ſæpe ſexaginta hominum millia excedat. Poſtquam ita in unum coadunati ſunt, camelos conſcendunt, & ſeſe viæ committunt, atque ita duodecim vel quindecim dierum ſpatio Hieroſolymam perveniunt. Sed antequam illuc pervenerunt, primò Gazam urbem ingrediuntur, deinde Cateam, inde Ravilay, in tribus hiſce locis omnes vectigal Turcæ pendere coguntur, octo Coronatos Gallicos qui ſunt ſubditi, duplum dant reliqui, nimirum ſexdecim cum Hieroſolymam pervenerunt: rurſus quatuor coronati dandi ſunt à ſubditis à ceteris octo, atque in hoſpitio quodam commorantur dum Hieroſolymis degunt, & per ſanctam ſeptimanam integram loca ſacra inviſunt. Die verò Sabbati congregantur omnes in Templo Sepulchri, ibique Miſſam audiunt quam omnes Pontifices qui adſunt, ſeparatim in variis ædiculis celebrant. In ædicula Sepulchri ſolus Jacobitarum Patriarcha ſi adſit, ſin minus ipſius Vicarius cum aliquibus Eccleſiaſticis Abyſſinis (ſuper quos, ut aiunt, lux è Sepulchro Sancto egreditur) hora conſecrationis miſſam celebrat. Cuſtodes verò Turcæ candelas & Lampades omnes in Templo die illa accenſas

extinguunt quæ poſtea à Luce divina quæ egreditur è Sepulchro accenduntur. Sed hoc figmentum eſſe multi arbitrantur, & revera figmentum eſt. Potuit (ut multi teſtantur) hoc fuiſſe antiquitus, cum rari eſſent illi qui Chriſtianam religionem profiterentur. Nunc verò cum fides per totum terrarum orbem diffuſa expandatur, hiſce miraculis opus non habemus: ſed tamen ut bene ſentiant Turcæ de Religione Chriſtiana, Technis iſtiuſmodi, quæ tamen nihil invehant mali pietati Chriſtianæ credulis ſimplicium animis ſolent illudere; fingentes luce quadam quæ ex Sepulchro emicuerit accenſas lampades, cum ii lampadem è Sepulchro ſuſpenſam accendant, atque ex eadem miniſter ceteras accendat, cum antea extinctæ fuiſſent. Et hoc quidem fit à Jacobitis, ſive Æthiopibus, quia illi ſoli, ut antea diximus, in Sepulchri ædicula Miſſam celebrant. Europæi multi hoc credunt, Græcis & Chaldæis in hoc negotio imponere *dicunt*.

Ubi prima dies Paſchatis præteriit loca Sancta quæ ſunt extra Hieroſolymam inviſunt, utpote Bethlehem, Jordanum fluvium, & Paſſionis reliqua loca, idque fit per totam Paſchatis hebdomadem, quibus peractis redeunt omnes in Patriam. Sed habent etiam loca peculiaria quædam in Ægypto ad quæ ſe religionis ergo conferunt, præcipue verò Virginis Mariæ Templum ſolent adire. Exiſtimant enim, octava die Septembris, quæ eſt Virginis Natalis, Beatam Virginem una cum quibuſdam ſanctis phantaſtico quodam modo in circuitu Sanctuarii apparere. Iſtud ut videant multi in Templum concurrunt.

Habent & loca alia Sanctis dicata variis, utpote Divo Georgio, D. Antonio, & aliis, & quoniam multa dicuntur edere miracula, plerique eo concurrunt religionis ergo, & animalia ſecum adducunt, in ſancti ipſius gratiam, eaque immolant, cumque eadem in Templum coxerint, in eodem comedunt.

CAP.

CAPUT XXI.

De cibis & ratione Victus.

CUm inſenſiſſimus ſit calor quo appetitus langueſcit, ac ſitibundi in hepate ſpiritus ad potum exacuuntur, reſarciunt & reficiunt corpora nimio æſtu languentia beneficio cibi aut potus frigidi, ceu alimentorum frigidorum ſuffectione, quibus abundat regio: & licet ſingulis ferè diebus boum ſex, ovium duodecim millia mactentur, malunt tamen maxima ex parte lacte, herbis & aliis veſci. Bis tantum aut ter per hebdomadem carnes comedunt Laici. Reliquis diebus vel piſcibus vel lacte, vel herbis veſcuntur; diebus verò Mercurii, & Veneris præter piſces, & herbas nihil comedunt. Comedendi modus hic eſt.

Duplicatis ſub ſe genibus terræ inſident, circa menſam coram illis extenſam. Eccleſiaſticus ſi quis adſit, accepto pane, & in fruſtula manibus, cultro enim nefas eſt, diviſo, ſingulis poſtquam menſæ benedixit fruſtulum porrigit, quo accepto ſeſe omnes ad comedendum accingunt.

CAPUT XXII.

De Educatione Liberorum & Scholis publicis.

INſtituuntur apud Jacobitas Liberi in Scholis Publicis, in quibus Sacras literas & honeſtos Mores addiſcunt; non ſunt enim ſcientiarum ſtudia; diſcunt tantum legere, & ſcribere tum Arabice, tum Coptice. Solent præterea pueruli in iſtis Scholis Pſalterium totum, & Pauli Apoſtoli Epiſtolas memoriæ mandare.

Plerique Arithmeticam & Geometriam addiſcunt, ſunt enim hæ duæ artes iis apprime utiles, & neceſſariæ propter inundationem Nili: perduntur enim agrorum termini, & metiri terram oportet, & annuos proventus harum artium beneficio numerare.

CAPUT XXIII.

De Exercitio Nobilium, & Plebeiorum.

NObiles maxima ex parte Principibus Turcis ſolent eſſe à Secretis, Cancellarii, Quæſtores, munerum regalium Procuratores, vectigalium ac decimarum Oeconomi, &c. Ita ut totum Turcæ Theſaurum, quem ab illa regione evehit, habeant præ manibus. Solent alii eſſe Arithmetici, alii Geometræ, quo terram metiri poſſint, & pecuniam quæ ex Ægypto educitur numerare. Plebeii verò vel ſunt opifices vel ſervi. Opifices omnes artes exercent, vel enim ſunt Aurifabri, vel Gemmarii, vel Sutores, vel Fabri, vel Sartores, vel Cæmentarii, vel Sculptores, vel Architecti, &c. Servi verò tam Turcis, quam Chriſtianis, & Hebræis inſerviunt. Et hæc de Jacobitis hactenus, quæ quidem etſi inelegantiora videbuntur, dabis veniam, & ad majora animum accendes, hiſce interea fruere.

FINIS.